

Jurisprudence*

**1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, decree of the
Congresso, Dismissal, prot. n. 53159/17 CA, October 26, 2018.**

Prot. n. 53159/17 CA

N

Dimissionis

**(Rev.dus X – Congregatio pro
Institutis vitae consecratae
et Societatibus vitae apostolicae)
Cf. etiam prot. n. 51485/16 VAR**

[DECRETUM]

Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, decreto die 12 novembris 2015 lato, dimissionem Rev.di X a Societate Iesu revocavit, quam Superior competens ob inoboedientiam ex can. 696, § 1 decreverat, et quidem ob motiva in decreto dimissionis ommissa (cf. can. 51). Ipsum autem Dicasterium, data occasione, admonere voluit revocationem nihil statuisse de modo

* The Latin text of these decrees and their unofficial English translation prepared by William L. Daniel are published with the permission of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura.

agendi eiusdem Rev.di X, immo addidit illum modum agendi, si et quatenus perseveraret, causam proceduræ dimissionis inchoandæ esse; nam Rev.dus ille Vir iam diu extra domum religiosam degebat.

Commercio quodam epistulari instituto, Rev.mus Superior Provincialis, litteris die 22 ianuarii 2016 datis, Rev.dum X apud Collegium Z dicatum in civitate V a die 1 martii 2016 transtulit, ut auxilio esset auctoribus ephemeridis nomine vulgo Q.

Statim, die nempe 7 februarii 2016, respondit Rev.dus X duas rationes afferens ob quas praeceptum illud implere non potuisset: oculorum condicio impediēbat quominus ipse munus assignatum obiret; obligationes insuper iam assumptas usque ad annum 2018 ad munus in W explendum derelinquere non poterat.

His non obstantibus, Rev.mus Superior provincialis, litteris die 15 februarii 2016 datis, praeceptum oboedientiae confirmavit quoad domum religiosam, concedens simul facultatem de munere ibidem explendo adhuc disceptandi.

Rev.do X renitente, Rev.mus Superior provincialis, audito consilio,

proceduram dimissionis inchoavit: prior monitio die 1 martii 2016 data est, termino translationis die 31 martii 2016 complendae statuto; altera die 1 aprilis 2016, termino diei 30 aprilis 2016 addito; binis his canonicis monitionibus, Rev.mus Superior provincialis et aliam monitionem edere voluit, die nempe 7 iunii 2016 cum termino diei 30 eiusdem mensis.

Pro incorrigibili Rev.do X inde habito, Rev.mus Superior provincialis cum suo consilio die 11 iulii 2016 acta omnia ad Superiorem generalem misit, qui cum suo consilio dimissionem Rev.di X die 29 augusti 2016 statuit, decreto statim ad rem edito.

Recursu hierarchico die 17 septembris 2016 praebito, Rev.dus X ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae provocavit, quae, decreto die 7 iunii 2017 lato, recursum reiecit et dimissioni de qua adhaesit.

Beneficio novae audientiae die 24 iunii 2017 petito, Rev.dus X ad H.S.T. die 14 augusti 2017 provocavit.

Interea Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, tenens terminum de quo in art. 135, § 1 *Ordinationis generalis Romanae Curiae* tribus mensibus constare, responsionem prorogavit usque ad diem 31

decembris 2017 et, tandem aliquando, die nempe 27 februarii 2018, in decisis decrevit.

Exhibitis memorialibus Cl.marum Patronarum, die 17 maii 2018 pro Rev.do Recurrente, die 24 septembris 2018 pro Auctoritate ecclesiastica, Rev.mus Promotor Iustitiae votum pro rei veritate die 9 octobris 2018 prompsit, cui, commutatis scripturis omnibus, tantum Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona respondit.

Quibus praehabitis,

**SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL**

Considerato quod adversus dimissionem ab Instituto religioso duo argumenta in casu adducta sunt, si non nova saltem aliter expressa: morbosa oculorum condicio ab oboedientia excusat; causae iudiciali coram foro civili pendenti translatio nocet;

Attento quod prius argumentum, quod Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona fusius pertractavit cuique Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae distinctius respondit, his saltem sequentibus rationibus reiciendum est, nam:

- *primo loco*, praeceptum Rev.do X impositum, cui ipse haud obtemperavit, insequens est «[...] I assigned you to live in the Z . . . , V, and to work in the . . . “Q”» (emphasis addita) et, uti patet, praeceptum est directe et principaliter ad novam domum religiosam Rev.do X assignandam et tantum secundario et accidentali ad ministerium eidem conferendum, ita ut si impossibile est ministerium exercendum, non perinde impossibile est V civitatem petere, ubi ad eundem morbum curandum praestant nosocomia haud ullis quae in W exstant secunda;
- *secundo loco*, distinctio de qua supra extollenda est ex ratione praecepti, quod impositum est ad irregularem conditionem Rev.di X sanandam («to regularize your status in the Society»), quippe qui extra domum religiosam diu degeret;
- *tertio loco*, praeceptum hoc impositum fuit postquam non una vice Superior maior Rev.do X consuluit de domo et ministerio sibi seligendis, seu sibi optatis Superiori indicandis (cf. epistulae diebus 15 decembris 2015 et 7 ianuarii 2016 datae), cui ipse altissimo silentio respondit, etiam per epistulam quam idem Rev.dus

Vir die 7 februarii 2016 dederat;

- *quarto loco*, Rev.dus X pendente praecepto, immo et pendentibus recursibus, numquam Superioribus imperantibus elementa sui morbi *substantialia* dare voluit, agens utique de operationibus chirurgicis, de morbo at nullam attestationem offerens de vero et actuali statu oculorum: qui agendi modus praescripto can. 1526, § 1 contradicit et quanti fecerat excusationem illam Rev.dus ille Vir clarius illustrat;

- *quinto loco*, iam pendente praecepto (et adhuc pendentibus recursibus) Rev.dus X certior factus est—uti ceterum communis sensus iam illum edocere debuisset—ministerium apud auctores ephemeridis ultra suas vires haud fore, sive per conamen initio peractum, sive ex multis mansionibus quae adsunt apud auctores ephemeridis, sive ex colloquio cum Superioribus habendo, sicut, exempli gratia, ipsemet Rev.mus Superior generalis, interpellatus a Rev.do X post primam monitionem, litteris die 21 maii 2016 datis, asseruit: «When you have incorporated yourself in the

house he has decided for you, only then will there be time to discuss with him how far that mission is harmful to your health or incompatible with your delicate state of sight after your two recent operations»;

Perspecto quod alterum argumentum ad abusum potestatis attinet («[P]raeceptum oboedientiae a Rev.mo Superiore provinciali [. . .] Rev.do Recurrenti datum, causam finalem non habuit salutem animarum, sed meram utilitatem *privatam*, nempe ut processus civilis ab eodem Superiore adversus Rev.dum X et alios introductus, in proprium favorem solveretur»),

et ad rem animadverso quod:

- nullo prorsus modo asseri potest translationem impedimentum esse legitimae defensionis coram Magistratibus civilibus exercendae, Rev.do X legitimo patrocinio, immo et litisconsortio, gaudente;
- nec de abusu potestatis agitur si attendatur quod praeceptum utique dedit Rev.mus Superior provincialis, qui animum infensum in translaturum habere asseritur, sed dimissionem decrevit Superior generalis, S degens et nullum directum nexum cum Rev.do X habens, immo Congregatio

pro Institutis vitae consecratae
 et Societatibus vitae
 apostolicae, quae rem vel in
 Congressu etiam quoad
 meritum pertractavit;

Perpenso quod plurimae
 animadversiones, quas Rev.dus X in
 dimissionem movit, in legitimitatem
 dimissionis minime influunt, uti,
 exempli gratia, asserta legitima
 absentia a domo; nam si et quatenus
 quondam licentiam seu invitum ille
 Rev.dus Vir acceperit ad
 habitationem sibi procurandam (cf.
 litterae electronicae diei 9 ianuarii
 2014), hoc minime tollit facultatem
 Superioris dein licentiam formalem
 de re petendi (quoad modum,
 tempus, locum et sustentationem)
 necnon, re forsitan melius perpensa,
 urgendi domum religiosam
 petendam: licentiae seu invitationes
 non dantur ad infinitum nec tollunt
 semel pro semper officium
 oboedientiae ex parte sodalium et
 officium auctoritatis ex parte
 Superiorum;

Pro comperto ergo habito quod
 nullum par argumentum adductum
 constat illegitimae declarandae
 dimissioni Rev.di X ab Instituto
 religioso;

Vi art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in
Congressu, die 26 octobris 2018
coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

**Recursum non esse admit-
tendum et facto non admitti
ad disceptationem coram
Collegio Em.morum et
Exc.morum H.S.T. Iudicum,
quippe qui manifeste quolibet
caret fundamento.**

Adversus hoc decretum patet
recursus, rationibus suffultus, ad
Collegium intra decem dies
proponendus, ad normam art. 84
Legis propriae.

Pro expensis retinetur cautio in
arca H.S.T. deposita. Partes suo
quaeque Patrono congruum solvant
honorarium.

Et notificetur omnibus quorum
interest ad omnes iuris effectus.

Romae, e sede Supremi Signa-
turae Apostolicae Tribunalis, die 26
octobris 2018.

Dominicus Card. MAMBERTI,
Praefectus
+ Iosephus SCIACCA,
Secretarius